

Alessandro Melani 1639-1703

SUNGTEXT

CD1

1. Ad arma cor meum

Ad arma cor meum;
 e somno consurge,
 ad bellum assurge
 et invoca Deum.
 Non est tempus dormiendi,
 sed pugnandi, sed bellandi,
 fortiterque dimicandi
 hostes diros opprimendi.
 Horrenda tartari monstra,
 truces averni milites
 turmas istruunt,
 acies ordinant
 ut conterant, dissipent,
 disperdant te.
 Tu vero
 ne timeas,
 ne paveas
 confidens in Deum.
 Ad arma...
 Sume ergo scutum fidei,
 indue lorica iustitiae,
 stringe gladium spiritus,
 quod est verbum Dei;
 et sic armatus pugna decerta,
 debella inimicos, contere.
 Qui certare
 vult legitime,
 et referret
 vult victoriam
 solum Deum
 amet intime,
 soli Deo
 canat gloriam.

2. Peccantem me quotidie

Peccantem me quotidie,
 et non me poenitentem,
 timor mortis conturbat me
 quia in inferno
 nulla est redemptio;
 commissa mea pavesco
 et ante te erubesco;
 dum veneris iudicare
 noli me condannare
 quia peccavi nimis in vita mea.
 Deus in nomine tuo
 salvum me fac,
 et in virtute tua
 libera me.
 Miserere mei
 et salva me.

3. Cantemus Domino

gloriose enim
 magnificatus est
 in multitudine misericordiae suae.
 Ergo cantemus
 et exultemus
 nomen eius
 in idipsum.

Organa, tubae,
 timpana, lirae,
 date plausus,
 date cantus,
 date laudes Domino.
 O dulcissime Iesu,
 mundi salus et mentis ardor,
 coeli decus et cordis amor,
 quam libenter laudamus te.
 O amantissime Iesu,
 cor amantis et fons ardoris,
 lux et ignis et ardor amoris,
 quam libenter amamus te.
 Laudemus amantes,
 amemus laudantes
 in tubis et organis,
 organa, tubae...
 fac puris cordibus,
 fac castis ignibus,
 amemus te,
 tubis clangoribus,
 liris sonantibus.
 Inter cantos angelorum,
 voces beatorum,
 in aeternum laudemus te,
 cantemus Domino,
 semper laetantes,
 et exultemus numquam
 cessantes in multitudine
 misericordiae Dei nostri.

4. Eia in arma

Eia in arma
 non amplius herete,
 ocio vili sopiti mortales,
 praestet coelum sagittas
 laetales unde averni
 sint acies delete.
 Qui non refert
 de hostibus spolia
 non calcabit etherea folia
 quae sunt nostrae certaminis mete.
 Militet in terris
 qui praemia sperat in astris.
 Non umquam vilescit
 fortissimus miles
 sed semper fervescit
 in acies hostiles
 probatus in bellis
 quem cinserint castra
 regnabit in stellis
 volabit ad castra;
 iam pugna sospiro,
 iam tela requiro,
 fumatur iam parma.
 Coelesti gloria
 non coronabitur,
 qui prius victoria
 non decorabitur.
 Inter certamina
 qui gloriae est avidus
 suae vitae stamina
 ducat impavidus.

Sic in suo funere
aeterno munere
quisque donabitur.

5. O felix anima

O felix anima
quae coelum advolat,
quam ferunt angeli gaudentes;
quam laeto iubilo,
quam laetis cytaris,
quam laeto carmine, canentes.
Magnus heros Cristi dux
nexus corporis evellit
mundi tenebras, expellit
ipse fulgor, ipse lux;
munde gaude,
terra plaude,
virum fortem
contra mortem
dorum cor,
adora, et ama,
parum dicis,
file fama.
Hoc coelum
quod cernis
delitiis aeternis
paratur pro te;
Suavis iucunda
si labitur unda,
si murmurat aura
invitant ad se,
hoc coelum,
haec unda,
haec aura iucunda
parantur pro te.
Suavis...
Accede nunc ad sidera
venuste coeli flos.
Sed respice considera
quis labor agit nos,
parare tibi munera,
vocare, nos ad funera
tonantis erit mos.

6. Fallacicum sono

Fallacicum sono,
falsissimo tono,
tu cantas, o munde,
sancta cum verbis
numquam concordas,
semper discordas;
definis lugens
et incipis iucunde
dulce canis
ut sirena
sed post dulce,
amara poena,
ut venesicus
incantas et serpentem
imprudentem dum suplantat
bona promittis
et repugnas bono,
triplicatum tempus
vocas tritum magis atque breve
unum vis sustollis
leve tres in imum,
tres in imum et denslocas,
ut in die sis crescens
luctum nigras noctes
sis fugare semper saltus sine ductu,
numquam firmus vis cantare.

In quadro cor laetum
reponens ascendis
finalem in fletum
per molle descendis
dulcore capis et occidis dono.
Ergo percipe o anima tenorem,
coeli concentus audi,
aures obtura mundo
tuum superius sit
manere in fundo.
Ne suspiremus
cum tempus mutatur,
munera quoties
manu Dei pulsatur.
Haec minima spernamus
ut maximas possimus
indi habere;
faciles eligamus claves
quae coelos fasciant patere,
melos canamus melodiae patrono.
Fallacicum sono...

7. Quid dormis

Quid dormis,
quid facis,
mortalis
quid agis,
cur fugis
a morte,
cur volas
a plagis?
Languo,
mrior
prae dolore:
cessa vulnerare,
siste sauciare,
sunt iam lumina
plena merore.
Sed satis sunt poenae,
tormenta, merores,
sunt seri dolores,
sunt crudae catenae,
sunt cari dolores,
sunt dulces catenae;
mortalis non amplius lamenta,
mi lesu non tormenta.
Peccator quid agis
cur plangis et ploras,
cur Christum exoras,
ut eruat te a plagis?
Ad plagas meas
oculos extolle
et considera
quanta passus sum
pro salute peccatorum
et a semitis errorum
cor mortalis tolle.
lesu dulcis fons amoris
si benignus tu visitas me;
ego dignus sum tanti doloris
dum peccavi quotidie in te.
Venite dolores,
accedite poenae,
tormenta, catenae,
sunt dulces amores.
Descendite angelicae
gentes ab arce superna
tonantis coronas
in mundo ferentes,
e fede olimpi stellantis.

8. Derelinquat impius

Derelinquat impius
viam suam
et vir iniquus
cogitationes suas;
revertatur
ad Dominum
Deum suum
et miserebitur
eius;
quia benignus
et misericors est;
non vult Deus
mortem peccatoris,
sed ut convertatur et vivat.
Eia mortales
convertimini ad Dominum,
adorate Regem vestrum,
quia benignus est,
quia misericors est.

9. Congregate caetum

Congregate caetum,
convocate populum
induimini spe,
exuite metum.
Clamat Deus
coelorum e culmine
festinate, proponitur pax,
non vos poena
comburet suo fulmine
sed amoris exilaret fax,
quis amanti timebit
accedere vox singultus
quis inchoat edere
dulci venia laetabitur mox,
curas petus depones sollicitas,
erit statim mestitia felicitas,
clara dies, teterrima nox.
Momomento poenitens,
coelum assequitur,
breve suspirium,
veniam consequitur.
Decurrant iubila,
Exulent nubila
ponite fletum.
Congregate...
Deus amoris,
Princeps pacis,
vocat filios,
quaerit subditos,
amplexus spendet
largitur oscula.
Tuae mortalis
impietatis satis,
si formidas orco claudi,
audi, mundi pocula mors inquinat,
fuge, aureos calices Deus propinat,
fuge, si non cupis te deceptum linque
mundus curre ad Deum quere amanter
tuum dilectum dic paratum.
Illico obveniunt coeli stipendia,
una lagrimula tollit incendia.
Decurrant iubila...
Congregate...

CD2**1. Ecce salus**

Ecce salus, ecce vita,
cor liquesce, cor laetare,
fuit e coelo vox audita
veni Iesu, su consolare.
Ecce nectar coeli gratum,
cordis amor et solamen;
quam suave, quam optatum,
verum animae levamen.
Si iam pervenit
meus ad coelum clamor,
o suspirata lux,
o spes, o amor.
Vocando, plorando,
dilectum quesivi,
petivi per montes
ut cervus ad fontes
et tandem inveni
quia dixi clamando
care sponse,
dulcis amor, veni.
Qui prebes lumina
et gratiae flumina
inferno gravis absconde me;
sponse suavis amplector te,
qui tollis crimina,
qui pandis lumina,
qui coelum fulcis defende me,
mi Iesu dulcis, adoro te.

2. Salve superum regina

Salve superum regina,
ave mundi imperatrix,
mater misericordiae et pietatis salve,
vitae nostrae unica spes
et favo mellis dulcior ave,
ad te, o dulcis Maria, confugimus,
ad te clamamus,
non aliam nisi te,
o Maria optamus,
ad te solum nos proles Evae,
o Maria, gementes et tristes
in hoc miseriarum mari et valle
suspiramus et clamamus.
Eia nostra protetrix
et nostra advocata,
Succurre nobis,
o nostra, defenditrix.
Intra tua pietatis viscera
nos absconde et tuis benignis oculis
nos semper aspice.
Aspice nos o Maria,
salve mundi coelique regina.
Nos defende,
nos protege,
o Maria,
et Iesum nostri
redemptorem nobis da,
Iesum benedictum
fructum tui virginalis
ventris nobis ostende,
post hoc mundamus exilium;
nobis, o dulcis et cara Maria,
nostrum Iesum in hora mortis
ostende, o clemens, o pia,
o dulcis Virgo Maria.

3. Alma Redemptoris

Alma Redemptoris Mater,
 quae pervia coeli porta manes,
 et stella maris succurre cadenti;
 surgere qui curat populo
 tu quae genuisti
 natura mirante,
 tuum sanctum genitorem
 Virgo prius ac posterius
 Gabrielis ab ore
 fumens illud ave,
 peccatorum miserere.

4. Salve Mater, et Regina

Salve Mater, et Regina,
 ad te pronus nunc accedo;
 fons pietatis, lux divina,
 vitae nectar et dulcedo.
 Salve sponsa Deo dilecta
 bonis plena gratis dives,
 inter mundi et coeli cives
 alma parens Christi electa
 Clamantes, gementes,
 ad te suspiramus
 et vitam optamus
 sub morte iacentes;
 tu metum expelle,
 tu hostes confunde,
 furem revelle
 phalangis profunde.
 Ergo tuos converte oculos
 pietatis amantes
 tendere ne valeant
 arma inimica necem.
 Post tam grave mundi exilium
 pande coelum gentibus,
 nobis tuum ostende Filium
 verum lumen mentibus.
 Excipe vota,
 suscipe preces
 quae mens devota
 mittit ad te
 quia destituta
 est omni spe,
 porrige dexteram,
 da lucem animae,
 dissolve vincula
 quae cingunt me.
 O clemens, o pia,
 benigna, decora,
 pudica, suavis
 Maria.

5. Spirite o Zefiri

Spirite o Zefiri,
 o aerae volate,
 e grato murmure
 cor inflammatum
 divino spiritu refrigerate.
 O dulcis,
 o cara
 Maria.
 Eia tuis radiis
 redde lasso spiritui lucem
 faciem ostende serenam
 trade nobis caeli laetitiam
 mater benigna et pia.
 O stelle ridete
 o anima spira
 in lucem tam mira,
 o faces, ces splendete.

O cara delitia
 Mariam laudare;
 Quae maior laetitia
 quam matrem amare;
 tu enim es vera quies,
 tu nostrae gloriae triumphos.
 Tu sola es
 Paradisi via.
 O grati Zefiri
 o dulces aerae
 fugate nubila,
 caelum tam candidum
 nunc serenare.
 O dulce solamen,
 o vera spes,
 o cara Mater,
 o meum cor,
 nostris miseriis
 tu dextram porrige
 et adiuva nos
 suavis et pia.
 Quam carus puellus
 dicamus amore
 qui matris ab ore
 arridet tenellus.
 O dulcis,
 o pia
 suavis et cara
 fis nobis preclara,
 o cara Maria.
 Affectum narrate
 tam matris benignae
 amoris in igne
 vos omnes clamate.

6. Quae est ista

Quae est ista
 novi luminis
 aurora consurgens,
 quae progreditur aeternis
 irradiata fulgoribus,
 quae tanta laetitia,
 qui tantus nitor,
 quae nam ista est?
 Coeli de super
 rorate prata
 floribus ridete
 novae lucis et beatae gaudete,
 novi luminis gaudete.
 Haec est Maria
 quae pulchra,
 quae pia diffundit in ortu
 coelestes nitores:
 date rosas,
 date flores,
 tantae Virgini favete.
 Coeli de super
 rorate prata
 floribus ridete.
 Quae nox dispergitur
 oritur, quae dies.
 Augustis facibus,
 telluris incole,
 aeterno lumini
 coelorum ordines
 Plaudite;
 exultat in cantu
 cui grata lux est
 et fremat in planctu
 cui pulchra nox est.
 lam dulcis in via,

formosa et decora,
exultat aurora,
incedit Maria.

7. Iustus ut palma

Iustus ut palma florebit,
quae in campis est multiplicabitur.
Iustus ut stella fulgebit,
quae in coelis est illuminabitur.

Ut palma virescit
dilecta camporum,
ut palma sucrescit
mens sancta iustorum,
ut stella splendescit
amica coelorum.
Sicut liliū germinabit N.
quod in campis est illuminabitur,
multiplicabitur in generatione sua.
Multiplicabitur in fortitudine,
multiplicabitur in iustitia
ut liliū virtutis flos,
ut liliū iustitiae flos,
ut ros amabilis,
et delectabilis,
caelorum ros,
pratorum ros,
multiplicabitur in pietate
ut liliū pietatis flos,
camporum ros.
Ergo superum caterva,
per virentes ite campos
et florentes ite coelos;
sydera palmas nectite lilia,
et coronas fabricate,
N. coronate,
N. honorate liliū
fortem coronate palmis,
fortem coronate stellis
iustum, piū.

8. Date voces pueri

Date voces pueri:
N. celebrate,
triumphos renovate,
canite victoriam.
In fide iam fortis
certamina gessit
et vires oppressit
draconis et mortis.
Spargite plenis
lilia manibus
et hymnis canite
victoriam.
Quis similis tibi
in fortitudine
felicissimus
inter natos viventium.
Quis melior in humilitate,
in confessione constantior.
Gloriosa nunc tibi debita
cernis in permanente civitate Ierusalem
in domo sancta Dei.
Placida est miseris
in coelo pietas
miles fortissime
victor sanctissime
protege nos, adiuva nos,
da bellare,
da triumphare
et ad cives
immortales

paradisum scandere.
Et laeta sit fausta dies
sic iuuet ut est iucunda pereat
in profunda clade
fremens tartarus.
Eia pueri
congeminate voces,
renovate triumphos,
canite victoriam.

9. Recolite memoriam

Recolite memoriam,
recogitate animo merita N.
et statim caligabitis oppressi
remanebitis a redundantium
luminum immensitate.
Assumite lunam,
apprehendite solem,
omne iubar,
astra cuncta
tanti splendoribus
cadunt consumpta;
Igne armate,
flammis pugnate,
tales ardores
corde tam fervido
semper minores
tales ardores;
non germinat flos,
non rutilat lux,
non albicat nix,
quae dote maiore
a tanto pastore,
devicta, ta non sint.
In illo suprema
maiestas aeterna
gratiam omnem
voluit infundi.
Solutus hic est
gloria mundi.